DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRIBUS

IN ORIS MARIS MEDITERRANEI.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRIBUS
IN ORIS MARIS MEDITERRANEI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS PROUDFOOT,
Scotus,
CHIRURGUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

JACOBO WARDROP,

LONDINI,

ARMIGERO,

SOCIETATIS REGIAE

ET

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. SOCIO;

HOC TENTAMEN,

VENERATIONIS PROPTER SOLERTIAM MEDICAM

ATQUE

ANIMI OB INNUMERA BENEFICIA GRATISSIMI

TENUE SED SINCERUM TESTIMONIUM,

INSCRIBIT

AUCTOR.

JOANNI CHEYNE, M. D.

EBLANAE,

SOC. REG. EDIN. SOCIO,

VIRO,

QUI FEBRIS INDOLEM ADEO FELICITER EXCOLUIT,

QUIQUE ARTE MEDICA ADEO MERITISSIME

PRAELUCET;

HAEC,

SUMMAE EXISTIMATIONIS

PIGNUS,

OFFERT

T. PROUDFOOT.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRIBUS

IN ORIS MARIS MEDITERRANEI.

DE Febribus illis Hispaniae, milites nostros necnon incolas quodammodo male afficientibus, adeo multa jam dicta sunt medicis militaribus, tam dignitate quam meritis et doctrina praestantissimis, ut eas nunquam mihi scribendi argumentum sumpserim, ni rei ipsius gravitas et momentum suaderent. Monendum igitur puto, me occasionibus has febres observandi minime vulgaribus fructum esse, cum stipendium fere trienne in valetudinario generali, nunc in Sici-

lia, nunc in littoribus Maris Mediterranei, fecerim. His valetudinariis minus quam sexcenti variis morbis aegrotantes vix unquam inerant, plerumque vero numerus hujus duplex erat. Per magnam jam dicti temporis partem apud valetudinariorum inspectorem, in ora Hispaniae orientali, merebam ; qui praefectus, praeter manipulum aegro antium curae propriae mandatum, febrientes quoque valetudinarii generalis ter in die me invisere, eique mane commentarium scriptum, nec minus signorum in corporibus resectis historiam referre, jussit.

Hispaniae haud secus ac aliarum regionum febres, cum anni tempestate, aetate, corporis constitutione aegrorumque variare solent : sed ratione multo manifestiore minusque ambigua, cum habitationibus aegrorum. Quaedam enim Hispaniae loca celsiora, ob aëra purum, incolarumque valetudinem celeberrima sunt ; dum alia, veluti Gades, Gibraltara, Malaga, Carthagena, omnia quidem humilia paludosaque littoribus Mediterranei Maris loca, febri intermittenti, aut remittenti, subinde Causo, seu Febri Flavae, ut vocatur, obnoxia sunt.

DE FEBRIBUS VERNALIBUS.

MORBI HISTORIA.

MENSES Februarius, Martius, Aprilis, Maius semper erant sanissimi, paucissimisque febribus noti. Hujus rei variae fingantur causae; ut milites aestivo bello jam diu intermisso refecti; bene alti, vestiti, hospitiis commode collocati; aëris per eosdem menses lenitas; militum animi erecti, perque bellum denuo inceptum, bellique apparatum excitati.

Hoc tempore rigoribus saepenumero incipiebat, plerumque tamen catarrho vehementi, cum raucedine, narium siccitate, frontis obtuso, hebete, molestoque sensu; musculorum colli posterioris dolore atque rigiditate, tussi, pectoris angustia, lingua albida, striata, siti, pulsu pleno, forti, duro. Alias prima signa erant dolor, vel aculei sensus in latere pectoreve, tussis, respiratio difficilis, dolor capitis gravissimus, dolor dorsi, et teneritudo vel molestia ex tactu per totum corpus evadens. Cutis secretione impedi-

ta, aspera, arida, calida sentiebatur. Alvus parum affecta est.

Gravioribus exemplis, mucum sanguineum, in pauculis haemorrhagiam e pulmonibus ingentem, extussiebant; capitis dolor molestissimus fiebat; dieque octavo decimove, nonnunquam maturius, delirium supervenit, cum oculorum suffusione ac stupore; musculorum faciei subsultu, rerumque externarum neglectu universo. Haec per diem unum alterumve: postquam, aeger externis animum advertere inciperet, cutis mollesceret, naturalis jam facta; lingua fieret pura, capitis dolor deliriumque paulatim evanescerent, et virium recreatio, lenta quidem, sed constans superveniret. Pulmonum dolorem delirium subinde levare apparuit: quin et delirio arte fugato, haec pulmonum mala iterum nonnullis rediebat. Morbus raro lethalis fuit nisi sub initio neglectus; aut exercitu iter faciente, hospitia febri accommodata obtineri nequibant, nec ideo quidquam nisi pars quaedam curationis necessariae adhiberi poterat. Saepenumero hoc vitium pneumonia distinguere difficile est; sed dolor capitis, dorsi, genuum, vehe-

mentior quam in ea videbatur, pectoris dolor minus quam in pneumonia acutus subinde absens; nonnunquam vero, licet raro, febris novum currere stadium, post pulmonum molestias fugatas, apparuit.

Hujus febris causae erant moestitia, timor, anxietas, intemperantia, quicquid demum vigogorem corporis minuere, ideoque frigori obnoxium dare valuisset.

DE CADAVERUM INSPECTIONE.

Corpore resecto, pleura costalis et pulmonalis in inflammatione repertae sunt, fluidum serosum in thoracem pericardiumque effusum. Pulmonum parenchyma sanguine onustum. Membrana mucosa faucium et bronchiorum haud mediocriter inflammata. Cerebri vasa excitationem aliquam monstrabant. Dura et pia mater ubique turgidae vasculis refertae; sed hoc anni tempore raro encephalon ipsum inflammatur; etiam conditio vasculosa et excitata non inventa est, nisi ubi impetus cerebrum versus insolitus cum delirio subfuisset.

DE FEBRIBUS AESTIVIS.

Jam supra notavi febrem pro anni tempestate variari; morbum ideo describere conabor, raro ante Junium apparentem, cum Augusto vel primo Septembri quidem abeuntem; quo tempore alia, diversissima febre, et ipsa excipitur.

Initium nihil insoliti habuit, nisi quod tunc temporis aegrotantium numerus incrementum insigne acciperet. Rigores, caloris suffusiones, trans frontem dolor, nec non lumbis, dorso: calor auctus, sitis ingens, lingua alba, constipatio, &c. hanc saepe febrem incipiebant. Alias capitis dolore, sine ullo horrore percipiendo incepit; nam cerebri affectus sub quocunque initio semper praecipuum fuit signum. Progrediente febre signa aggravantur; dolor trans frontem chordae tensae filove ferreo capiti circumdato, comparatur. Cum hoc sensu vertigo, caligines, vultus suffusus, carotidis vel arteriarum temporalium pulsatio vehemens, cutis constan-

ter calida, arida ; lingua sordida, fusca ; vomitus accessus repetiti ; spiritus fit gravis, stertens ; pulsus antea plenus fortisque, debilis, citus, abnormis evadit. Tandem delirium, tremores manuum, pupillarum dilatatio, strabismus, musculorum oculi paralysis, comate atque convulsionibus, quibus aeger extinctus est, excipiebantur.

Morbus subinde lethalis ante tertium diem, omni cura nihil obstante ; plerumque vero temperatior, remediisque brevi dicendis cito concessit. Aliquando in effusionem super cerebrum desinere visa est ; quo casu, signa vehementer mutata sunt. Refectio lenta, fatuitate saepe comitante, cum membris debilissimis.

DE CAUSIS.

Causae manifestae erant ; milites enim juvenes, plenos, fibra densiore praeditos, huc a regione frigidiore nuper advectos, corripuit. Hi scilicet calori insolito expositi, victu quam antea lautiore, utpote qui carne, (sine herbis,) liquoribus ardentibus, paneque sicco constaret, utentes, facillime affecti sunt. Regioni assuetos

si febris afficeret, ad exercitationem sole vehementem intemperantiamve plane vestigari potuit. Ex causis non gravibus morbus lenior in his producebatur, praesertim si febri advenarum comparata esset.

Iter longum, subque sole ardente factum, noctes humi (*en Bivouac* ut Galli vocant) transactae, et cum omni intemperantia ad auroram perductae, milites sic afficiebant, ut ex legione mille hominum decem aut viginti hac cephalalgia laborantium, sequenti mane ad valetudinarium mitti mos fuit.

Per Junium quidem mensem, Julium, et Augustum hoc signo febrientes raro carebant, nisi hinc inde intermittens palata sese ostenderet.

DE CADAVERUM INSPECTIONE.

Post mortem encephalon lympham coagulatam prope tractum arteriae mediae meningeae vidisses. Sinum longitudinalem superiorem, cum venis suis, nec minus omnia cerebri vasa sanguinea turgere, fluidum serosum inter duram matrem tunicamque arachnoideam effusum, nec minus inter hanc et piam matrem quae mem-

branae spissatae, vasculis refertae fuerunt. Ventriculi plus humoris solito habuerunt, nec raro plane distenti. Cerebri substantia ipsa, quantum ego judicare potui, solito firmior erat; notas tamen morbi fere nullas ostendit, quamvis in nonnullis exemplis sectio transversa guttulas paulo plures sanguineas ostendebat. Basis cerebri signa inflammationis manifesta demonstravit. Nonnunquam mors ex comate supervenire apparuit, nec ulla secando signa morbosa in ulla parte interna inventa sunt. Hoc tamen rarissimum, nec absque fallaciae cujusdam latentis suspicione. Anatomiae morbidae peritum, signa leviora prima dissectione negligere vidi, quae postea avidissime amplecteretur.

Morbo intemperantia producto, nausea vomituque stipato, vasa fere numerosiora apparuerunt per membranam ventriculi mucosam, praesertim ad orificium superius; viscera abdominis tuta.

DE FEBRIBUS AUTUMNALIBUS.

Quoniam febres vernales aestivasque tetigerim, ad autumnales nunc depropero; morbos scilicet non tantum his diversissimos, sed inter se invicem pro causae vehementia. Paulatim tamen admodum in hanc autumnalem speciem degeneratur, adeoque dum calor solis ingens, locus aridus sit ac elevatus, morbus et caput et ventriculum afficere apparuit, nulla tamen remissione: hoc in statu Febris Mediterranei Biliosa appellatur: sed in locis humidis morbus, etiam incipiente epidemico intermittere tendebat. Humilibus autem locis paludosisque pure intermittentes, paulatim in remittentes et graves transiebant, atque hae, si causae valerent, in continuas mutabantur. Hoc fere in juvenibus robustis nuper advectis fiebat; assuetos more solito intermittentes remittentesque exhibebant. Milites, talibus locis, aut stagnis prope mare, stativis agentes, morbi formam gravissimam sub-

ire notabantur, dum in stationes contrarias et salubres, licet parum distantes, occupantes, formam intermittentem plerumque, sed non semper habuerunt. Atque etiam pessima statione atque conditione, tam plurimae semper remittentes fuerunt febres, ut sui originem nihil ambiguam relinquerent, sive herbis animalibusque simul putrescentibus, sive herbis solis fatiscentibus, haec consistat. Pleno utique Jove habitaculum habet, nec unquam ipse vidi contagione propagatur.

Morbus plerumque sine ullo horrore manifesto exoritur. Ingens et subito virium prostratio, sitis indomabilis, lingua sordida, praesertim versus centrum et basin, ponderis et molestiae in epigastrio sensus, quod tactu dolebat, cum frequenti vomitu materiae nigrae biliosae, signa erant hujus morbi diagnostica.

Progrediente morbo, symptomata vehementiora fiebant; ponderis ac molestiae praecordiorum sensus paulatim in dolorem convertebatur, qui, ut jam dictum est, sub pressione multum augebatur. Vomitus fiebat frequentior, atque corpus nunc flavedinem atriorem assumpsit;

vultus collapsus est, quibus singultus, tendinum subsultus et mors supervenit. Haec saepius inter quartam nonamque diem, nonnunquam vero ante tertiam. Diarrhoea quoque accessio haud raro aegrum, in tertia vel quarta morbi hebdomada extinxit. Corporis calor saepe haud praeter naturam ; alias sensum acerrimum, acrem tactui communicabat. Pulsus etiamsi debilis esset celerque, veluti in gastritide communi esse solet, subinde mollis, necnon plenus observatus est. Alvus valde incerta, atque dejectionum frequentia a sede morbi nonnunquam pendere apparuit : si inflammatio ventriculo cohibita esset, alvus torpebat ; sin autem totus canalis alimentarius morbum participaret, gravis diarrhoea saepissime sequebatur ; atque talibus vomitus minus urgere apparuit. Aliquando tamen accidit, ut morbus languore, lassitudineque accederet, quibus stadium frigidum regulare distinctumque superveniret. Huic conatus vehementes ad vomendum, cum oculorum vultusque suffusione, carotidum ac temporalium arteriarum pulsatione, dolore capitis intenso, calore 104 vel 106

F. indicante; lingua fusca, sitis magna, quae molestior fuit, quod potus sedandi causa ingurgitatus, raro non vomitum, aegrique miserias renovavit. Haec signa, postquam viginti aut quatuor vel triginta sexque horarum durassent, remittere proclivitatem ostenderunt. Quod febris remittentis esset indolis satis manifestum evadebat, ab iis exemplis quae longe a fontibus miasmatum evidentibus exoriebantur. Hujus rei specimen notabile apud Castella Atteleijam et Sancti Juliani in principatu Murciae; quae non adeo multum aëri miasmatico, ac alia in vicinio castella, objecta sunt. Castellum Sancti Juliani legione peregrina occupabatur, quae aliquandiu in Mare Mediterraneo fuisset, et coelo assuefacta esset: dum legio Britannica, nuper ab Anglia advecta, prope paludem ingentem hospitabatur. Haec morbum plerumque continuum, rapidum, lethalem; illa peregrina passa est plerumque remittentem, nonnunquam intermittentem cursumque temperatum secutum. Graviora quidem exempla in hac quoque occurrerent, quae nullam ad remissionem proclivitatem ostenderent; ita tam per

analysin, tam per synthesin demonstrantia, quod febres ejusdem indolis essent, originesque ab iisdem fontibus traxissent.

SECTIO CADAVERIS.

Quae corpore patefacto apparuerunt constantia erant atque satis certa, quoniam congrua essent iis quae a signis praecedentibus sperari potuerint. Ventriculus enim, ac intestina nonnunquam inflammationem habuerunt, unde febris mortalitas facile explicatur. Ventriculi connexus, praesertim cum cerebro corporisque superficie, momentumque ejus ingens in corpore animali manifesta sunt. Abdomine exposito, omentoque reflexo, in plurimis nihil morbidi sese ostendit; aliis autem vasculorum rubrorum fasciculi per diversas intestinorum partes discurrere visi sunt; atque cum febris cum magna violentia coepisset citoque lethaliter evasisset, totum peritonaeum valde inflammatum est. Nonnullis partes non vehementer inflammatae videbantur, sed laxae pulpamento similes, vasculis refertae; vasis ipsis sanguinem grumosum atrum habere visis. Incisione in

ventriculum facta, aque pyloro incoepta, tunica villosa innumeris minutisque vasculis, maculas ubique pulcherrime coccineas ostendentibus, referta est; sed species pro inflammationis violentia variata est. Haec fere maxime conspicua fuit apud cardiam, sic ut in plurimis primo obtutu haec nigra et gangraenosa appareret, donec accuratius inspecta, sanguinem inter tunicam nervosam et villosam effusum hanc speciem praebuisse ostendebat. Tunicam villosam saepius destructam variis in locis vidi, foveolis seu cavulis, necnon infinita vasculorum turgidorum et denudatorum serie, relictis. Vasa nonnunquam rupta sunt; sanguinis nigri grumulis scatentis coagulati strias, ventriculi contentis, fluido scilicet caffaeae rejiculis simili, nec raro coagulis confuso, immixtas, exhibentia. Plerisque universus canalis alimentarius fluido hoc nigro fuscoque obductus est; atque aegri jam convalescentes, saepenumero a diarrhoea indomabili hauriebantur, quam condensatio et exulceratio majorum intestinorum effecisset, ab iisdem, ut apparuit, causis, ac malum ventriculi originem ducens. In nonnullis diarrhoeis post

febrem protractis, recti penitus structura mutata; atque in uno alterove per stratum ossis depositum, indicata est.

Quamvis hepar plerumque hunc morbum participabat, haudquaquam necessario affectum est; neque levis et modica inflammationis, lobulo ejus minori fere restricta causa, unquam mortis fieri potuit. Hepatis textus frequenter praeter naturam mollis; praesertim in iis exemplis rapide ad finem properantibus. Hanc referrem mollitiem ad compressionem quam ex partibus vicinis passum erat, in conatibus ad vomendum inordinatis, quibus fluida vasis ejus naturaliter contenta expulsa sunt.

Lien plerumque mire auctus est, saepe multo magis quam duplo molis suae primariae, maculisque nigris aut coeruleis obsitus, speciem petechiarum in summa cute, lividarum, atrarum haud absimilem ostendens. In dissectionibus unius mensis viginti tribus cerebrum manifeste affectum haud referri licet; vasa in nonnullis turgidula essent, sed eventui infausto parum contulisse apparuerunt, quando cerebrum haud affectum est. Haec exempla miasmatum palu-

dum legitima proles esse videbantur, atque febris flavae genuina specimina, post magnam diminutionem aëris caloris, qui actionem vasorum miasmatum prius in corpore acceptorum aggravare solebant. Hinc in febre flava vera, ni fallor, mors a ventriculo destructo supervenit. Quum febris aestiva notam mutare coeperat, aut quum febris autumnalis, aut flava prona ad remissionem apparuit, cerebrum ventriculusque minus quidem affecti sunt: sed, utcunque mirum appareat, morbus in talibus non erat adeo fraeni impotens, neque adeo certe lethalis, ut erat cum ventriculus solus laborare apparuit. Quod cerebrum in exemplis remittentibus, posteaque in mortem desinentibus, magis affectum fuit quam in iis quibus nulla talis proclivitas observata fuit, sed quibus morbus continuatus est; ab hac re mihi pendere videtur, quod sanguinis abnormis et inordinatus cerebrum versus impetus in stadio talium calido fieri solet. Quamvis forma morbi continua erat periculosissima, actio ejusdem febrilis aequabilior existebat; atque hinc tenera cerebri substantia in hac quam in remittente forma minus laedi videbatur.

DE CONTAGIONE.

Argumentum contagionis in febre flava disceptationes acerrimas haud semel excitavit: lis autem adhuc sub judice restat, adeoque quum in locis nonnullis (ut Gibraltara) occurrit, incolae sub longa et inutili quarantinae vigilacis molestia laborant. Huic rei multum animum adverti, sed nihil contagioni simile unquam notare potui. Septembri anni 1813, ad finem vergenti, universi exercitus Britannici oram Hispaniae orientalem occupantis aegroti, mille scilicet hominum pluresque, subito impositi sunt navibus, aegris recipiendis nequaquam accommodatis; nec tamen levissima contagionis species occurrebat. Inter vulneratos autem, nota bene, gangraena nosocomialis late grassata est.

DE MEDELA.

Manifestum est, eandem medendi rationem, diversis febris formis et varietatibus, jam supra

descriptis, applicari non posse. Contentus igitur ero, si pauca ex remediis in usu generali, quibusque morbi formae leniores celerrime restitutae, et violentia periculumque gravioris formae mitigata sunt, breviter declarem.

SANGUINIS MISSIO.

Quae supra diximus de notis morbosis corporum sectorum, atque generalis proclivitas inflammatoria curatorum, facile ostendunt sanguinis missionem primam fuisse et utilissimam curationis partem. In omnibus febrium quae occurrebant formis, sanguinis missio tam generalis quam topica requirebatur. Quum venaesectio libera mature instituta est, maximum certe levamen induxit, quod tamen ob morbi severitatem brevi tantum duravit, adeo ut sanguinis missio repetenda esset pro signorum violentia. Matura atque cauta venaesectione sola, probe persuasus sum, febres autumnales, aestivae, et vernales, sub medici imperio redigi possunt: quin, sine matura plenaque sanguinis missione, omnia remedia alia parum valere apparuerunt. Paucae erant stationes militares, quibus venae-

sectio in febribus tam longe, ut in Mediterranea, provecta est: atque pauciores adhuc, quibus res faventes et obstantes venaesectioni consideratius perpensi sunt. Modus abstrahendi sanguinem ex arteria temporali generalius illa quam aliis quibusvis stationibus, peracta est Doctore Irvine, Medico ad copias Britannicas anno 1808, felicissimoque eventu. Sed febris natura, qua haec ratio sanguinis detrahendi optima habetur, primum, quod scio, amico meo Domino Boyle, in Edin. Med. Jour. 1810 indicata est. Ubi cerebrum affectum est, haec detrahendi ratio praelata est; sed experientia docuit, minime fidendum esse. Inventum est arteriam temporalem haud saepius quam semel eodem latere commode aperiri posse, copiamque sanguinis multo lentius evacuatam, quam more solito per brachii venam, copiam eandem minorem esse quam quae morbum regere possit; hinc arteriotomia ut auxiliare tantum usurpatur. Vix necessarium est dicere nullas certas regulas de copia sanguinis educenda praescribi posse. Variatio tamen minus in praxi militari quam privata, quum affectio topica gravis cerebri, pul-

monum, aut ventriculi, inter milites nunquam e mente excidere debet. In febre flava 120 uncias intra triginta sexque horas detraxi: in quatriduo uncias 200, atque cum optimo effectu. Haec tamen exempla utique extrema fuerunt, in hominibus robustis ac plenis. Sanguinis autem missio initio fere solo utilis apparuit, aut fortasse quamdiu fabrica organi tum inflammati non corrupta esset. In febre flava hoc maturrime fit; sed cum malum topicum perseveravit, licet aspectus aegri generalem sanguinis missionem vetaret, topica nihilominus adhibita est, ac fere semper solamine insigni, etiamsi curationem haud efficere valeret.

CATHARTICA.

Nihil ac stercorum accumulatio febrium signa tam vehementer accendit, adeoque cathartica liberaliter per totum morbum exhiberi debent. Notandum vero, utiliora haec visa esse, ubi cerebrum affectum est, quam aliis varietatibus quas describere tentavi. Purgantia salina quoque anteferenda. In febre flava, ex magna ventriculi mobilitate, nullum medicamentum

purgans tam bene respondere apparuit, ac hydrargyri submurias, refractis dosibus, ut tres quatuorve dejectiones in die moliretur. Hac ratione raro vomitum, quod fere omnia alia quae vidi exhibita medicamenta excitavit. Cathartica fortia impune adhiberi nequibant: atque siquando submurias hydrargyri effectum optatum non induxisset, enemata emollientia laxantiaque utilia fiebant.

SUDORIFICA.

Pulmonibus cerebrove affectis, Sudorifica utilissime adhibita sunt. Nitras potassae, aqua acetatis ammoniae, et oxidum antimonii cum phosphate calcis, praesertim laudabantur. In febre flava, Sudorifica, praesertim antimonii Praeparata, plerumque inepta videbantur. Aqua acetatis ammoniae solum erat, ex quo utilitatis quidquam percepi.

HYDRARGYRUM.

De hujus medicamenti usu inter medicos ingens pugna est; aliis scilicet maximi momenti, aliis, nisi quod purgét, inutile habentibus. Haec differentia hac ratione, ni fallor, explicari po-

test. In renixu vehementiore, febrique generali, nemo dubitabit, quin hydrargyrum subito inunctum, indicia aggravet omnia, nec quidquam boni proficiat. Sed venaesectione praemissa copiosa, fiebat quantum ipse vidi auxilium aestimabile. Quomodo operetur, dicere haud conabor; sed, ubi venaesectionis utilitas desinere apparuit, ibi operatio hydrargyri salutaris incipere videres. In aliis febris varietatibus supra dictis, raro si unquam usurpatum est; nisi si effusio super cerebrum facta fuisse crederetur: quo facto, calomelas digitali, et opii pauxillo conjunctum, valde profecit.

BALNEUM FRIGIDUM ATQUE CALIDUM.

Balneum frigidum cerebro affecto praecipue accommodatum est, atque ubi corporis calor supra temperiem naturalem constanter permanebat. In febre flava, balneum frigidum plerumque parum idoneum, saepe noxium est. Sola quae vidi exempla frigida levata, ea erant quibus sanguis ad caput multa vehementia ferretur in stadio calido. Remittentibus, balneum calidum et fomenta ventriculo abdominique uti-

lissima credebantur; alia enim remedia adhibere non impedierunt; cutis non tantum immunditias abluerunt, sed munera ejus sana promoverunt: et licet affectus non sint permanentes, nec finem ingratum avertant, sensui aegrotorum blandiuntur, miseriasque alleviant universas.

Epispastica adhibita sunt, saepe haud incommode. Ventilatio, linteorum crebra mutatio, munditia omnigena omnibus medicis aeque placent; sed cum topica existit affectio, cura tum maxima habenda est, ne aeger rivo vel flumini aëris gelidi objiciatur. Inter convalescendum e febre flava multum commodi derivatum est ab infuso quassiae cum sulphate zinci, a parvis dosibus rhei palmati vel ipecacuanha, a pulvere colombae quoque. Propter laxitatem et debilitatem organorum concoquentium, maxima cura et circumspectio fuit necessaria de victus genere: sic nihil nisi parvae portiones cibi levis, nutrientis, facile concocti, admitti posse apparebat. Vini quoque parva portio concessa est; vinum album prae aliis selegimus.

FINIS.